

Conventiculum Latinum Vasintoniense

habebitur [Aquis Albis](#) in [Collegii Vallis Aqualbensis](#) campo mensibus Iunio et Iulio anni MMIX.

Sessiones praeparatoriae: diebus tricesimo mensis Iunii et primo mensis Iulii

Conventiculum praecipuum: de die secundo usque per diem octavum m. Iulii

Moderabuntur

▪ **[Stephanus Berard](#), Ph.D., professor linguarum apud Studiorum Collegium Vallis Aqualbensis**

▪ **[Iacobus Dobreff](#), Ph.D., Socius Indagatorius Vniversitatis Lundensis Sueticae; Coordinator editorque primae recensiois *Diarii Surinamensis* a Daniele Rolander conscripti.**

Aderunt et alii moderatores volubiliter Latine loqui valentes.

Hoc Conventiculum optimam praebebit occasionem sermonem Latinum vivissimo modo exercitandi, nam crebras excursiones didascalicas faciemus in quibus licebit participibus non solum sermones sponte conserere sed etiam omnia quae viderint fecerintque sermone Latino, adiuvantibus moderatoribus, fuse describere. Ruri et in hortis colloquemur de arboribus et plantis, montibus et molibus glacialibus, fluviiis, bestiis, avibus, insectis, caelo aliisque multis. In oppido argumenta nostra erunt magis oppidana et urbana: artes omnes et oblectamenta, aedificia et vehicula, portus navesque, negotia, tabernae, libri, vestes, ludi athletici et ita porro. Imprimis placebit huiusmodi conventiculum eis quibus cordi sint variae amoenitates locorum quique ament amice garrientes variaque facientes modo "cinaesthetico" dicto linguae peritiam meliorem reddere.

Quibus sit Idoneum Hoc Conventiculum

Aequae invitantur et ludi magistri et praeceptores scholarum superiorum et professores, enixeque commendamus conventiculum hoc studiosis linguarum classicarum graduatis non tantum quod facultas Latine dicendi peritiam et legendi et scribendi mirum in modum corroborat verum etiam quod, ut Latinitas viva, quae nobis cordi est et ad quam nitimur, prorsus renascatur, imprimis necesse est ipsis futuris praeceptoribus linguam nostram pro instrumento omnino ad vivendum apto habere eamque ut omnibus demum rebus humanis, vel modernissimis, exprimentis parem tractent et doceant. Etiam eos qui fundamenta grammatica Latina didicerint Latineque iam satis bene legere valeant necdum tamen Latine colloqui possint ex animo cohortamur ut hoc conventiculum participant primosque suos sermones Latinos nobiscum serant. In conventiculis nostris colloquio Latino datis nullo modo est eis trepidandum erubescendumve qui nondum Latine locuti sint; nam nos fere omnes potius nuper quam pridem initium Latine loquendi fecimus, cuius initii difficultatem funditus comprehendimus.

De Sessionibus Praeparatoriis

Omnibus qui aliquot loquela Latinae elementa generalia exercitare velint erit occasio paucis diebus ante conventiculum incohatum adveniendi ut diebus tricesimo mensis Iunii et primo mensis Iulii varias res familiariores una cum Stephano Berard et Iacobo Dobreff et forsitan aliis moderatoribus Latino sermone celebrent, verba nova locutionesque utiles discant, linguam sibi aliquantum solvant, fiduciam loquendi firment.

De Nominibus Dandis ad Conventiculum Participandum

Vt locum in Conventiculo petas mitte schedulam petitionis ad: Pam Kelley, Administrative Assistant, Liberal Arts and Sciences, Wenatchee Valley College, 1300 Fifth Street, Wenatchee, WA 98801 USA.

De Deversoriis, Cibis, Pretiis, Talibusque Singulis

Omnia talia singula per studiorum [Collegium Vallis Aqualbensis](#) administrabuntur. Pro duplici conclavi solvet uterque cotidie \$20 (thaleros). Qui simplex conclave cupiet \$40 impendet. Vt conclave praenotes adi Kellky Ketcham apud 509-682-6865, kketcham@wvc.edu. Singuli cibi apud collegium sumpti \$9 constabunt. Discipulos hortamur ut stipendia ab academiis suis petant, fieri autem potest ut Conventiculum stipendia aliquot praebiturum sit.